



Vna si non fuerit coniuncta uel irradiata à Mercurio, nec aliquis planetarum inter, eos transferat lumen, nec fuerit ascendens signum de natura Mercurij uel Lunæ, fueritq; cum hoc Saturnus in diurnis & Mars in nocturnis natiuitatibus in angulo, natus erit amens, furiosus epilepticus, fatuus, uel ad minus obliuiosus, nisi fortuna tunc fortis ascendens aspexerit, aut Mercurium, aut Lunam, & eò fortius, si angulus in quo fuerit aliquis prædictorum malorum, fuerit Cancer, Virgo, aut Pisces. Si autem fuerit coniuncta, uel ad eum iuerit, erit sapiens.

Luna & Mercurius, si se non aspiciunt, neq; ullus eorum ascendens, & fuerit Saturnus in diurna significator qualitatis animæ in angulo, & in nocturna Mars, significat epilepsiam. Signa facientia epilepsiam sunt Sagittarius, Gemini. Eodem modo sunt amentes, quibus Saturnus est in angulo in nocturna, & Mars in diurna natiuitate, maxime uero si in Cancro, Virgine, uel Piscibus fuerit. Si cum hoc quod modo dictum est, fuerit Saturnus dominus loci Lunæ, & Luna sub radijs. Aut Mars dominus loci Lunæ, & Luna in opposito Solis, maxime autem in Sagittario aut Piscibus, significat dæmoniacos,

Mars in angulo terræ in maleuolo Solis aspectu, aut Mercurius cū Saturno, in ascendente in opposito Martis, aut Luna cum Marte in ascendente in opposito Saturni. Aut Luna & dominus ascendentis cum Mercurio infortunati à Marte, aut Luna in ascendente in quadrato Saturni à medio cœli, & opposito Mercurij, aut Luna separata à Saturno & coniuncta Marti, uel separata à Marte & coniuncta Soli, Aut Mars inter Solem & Lunam in eodem signo, Aut Luna aucta lumine, infortunata à Marte in Sagittario uel Piscibus, Aut Sol in opposito ascendentis in termino infortunæ ab ambabus infortunis impeditus, & non uisus à domino domus suæ. Aut Luna & Sol infortunati in sexta uel septima in eodem gradu, Aut ambæ infortunæ in ascendente in opposito Mercurij. Et in omnibus his, si fortune sint absentes, significant Lunaticos, fatuos, uel homines leuis cerebri.

Luna in decima, in signo communi opposita Marti, & Saturnus in septima, si Luna fuerit in quadrato Solis, & in matutino ortu locata, insanos facit.

Dominus octauæ, si ascendentem uel ipsius dominum male aspexerit, timor & angustia affliget natum. At si aliter aspexerit, timorem tantum inijciat nato.

Auerte oculos cum Mars fuerit angularis, maxime si Scorpius fuerit ascendens.

CAPVT NONVM.

De fortuna nati & substantia.



Fortunam ac prosperitatem nati considera ex loco partis fortunæ, & ex planetis dispositoibus, loci partis fortunæ. Cum enim locus partis fortunæ in loco conuenienti figuræ repertus fuerit, pollicetur nato magnam fortunam, maxime si luminare temporis prædictum locum aspexerit, aut si prædictus locus in partibus fortunarum repertus fuerit radiationibus eorum fortificatus.

Gubernatores etiam partis fortunæ diligenti ratione inuestiga, quam uim obtineant, & quomodo in figura ponantur, scilicet an sint in signis propriæ naturæ uel alienæ. Si enim dispositores partis fortunæ fuerint in loco conuenienti, fortes non impediti, in proprijs domicilijs aut exaltationibus constituti, maxime si etiam luminaria eis testificentur ratione similitudinis, aut aspiciant benigno aspectu genitricem admodum foelicem, & nato multas diuitias decernit.

Saturnus